

Ad
Præstantissimum Juvencem,

HENRICUM MOTZFELDIUM,

de SS. Scripturâ disputantem.

SUMMUM bonorum & ultimum est, jungi Deo,
Et unde fluxit ortus, huc revertere.

Hæc illa meta est, quam dies noctes homo
Respiciat unam semper, & semper petat,
Vitâ caducâ quamdiu datur frui.

Tam grande votum quod genus solertiæ,
Quæ cura vincet? qui sibi solvet labor,
Durus licet magnusque? perficiet fides
Natum Dei complexa, nec labem trahens;

Sed pura, sed sincera, sed constans sibi,
Et usquequaque regulæ quadrans suæ,
Oraculorum quam Dei ac vatum DEI,
Et suppetunt verendi & absolvunt libri.

Quos dum recensens erudito examine,
MOTZFELDI, & acre prælium ingressus acies
Contra inficetas impetentium strophas,
Quis, docte, quis te plausus, & favor manet?

Qui te triumphis? macte! ridet turbinis
Æstum ruentis, & minas tristes domus,
Invicta fundamenta cui pulchrè sedent.

AUGUSTUS BUCHNERUS.

C

Hæc